



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio quarta. Vtrum dæmones possint immutare sensus nostros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Utrum dæmon posset immutare sensus nostros.

Thom. q. 111. ar. 4.

Circa quartum quaeruntur duo. Primum est, utrum dæmones possint immutare sensus nostros. Secundum est, utrum possint scire cogitationes & affectiones nostras. Ad primum sic proceditur & arguitur quod dæmon non possit immutare sensus nostros, quia perfectior est vis sensitiva quam nutritiva. Sed dæmon (ut videtur) non potest immutare vim nutritivam, ergo nec sensitivam.

2. Item cursum naturæ non potest immutare nisi auctor naturæ. Sed cursum & ordo naturæ est quod sensus immutetur a sensibili, ergo ab alio non potest immutari.

3. IN CONTRARIUM est, quia angeli qui venerunt ad subvertendum Sodomam percusserunt Sodomitas cæcitate, vel auribus, Gen. 19. Et simile habetur. 4. Reg. 7. de Syris quos Elifæus introduxit Samariam.

RESPONSIO. Sensus potest immutari dupliciter. Vno modo ab ocio in operatione, sicut cum aliquis efficitur videns qui prius non videbat. Alio modo immutatur sensus de vero iudicio in deceptione, sicut fit in prestigis: ut cum videtur alicui quod gallus trahat trabem qui tamen trahit festucam, vnoque autem modo dæmon potest immutare sensus nostros. Quod enim primo modo possit immutare, patet, quia ad actum sentiendi non requiritur nisi presentia sensibilis, sed dæmon potest facere quod sensibile presentetur sensui. Sensibile dico vel de novo formatum modo quo supra dictum est, vel aliunde oblatum, ergo potest immutare sensum ab ocio in actum. Quod autem possit secundo modo immutare patet, quia quod potest immutare organum sensus ad indebitam dispositionem, potest immutare sensum a vero iudicio in deceptione. Sic enim videmus quod lingua febricitantis infecta humore amaro omnia iudicat amara. Sed dæmon potest quocumque organum sensus immutare ad indebitam dispositionem per actionem alicuius in naturalis immixti puta humoris circa guttum, vel grossi & terrestris circa visum, ideo &c. Cum autem phantasia sit motus factus a sensu secundum actum, sit etiam virtus organica sicut sensus, potest immutari a dæmone modis illis, quibus & sensus.

5. AD primum argumentum dicendum, quod sicut dæmon potest immutare vim nutritivam rei, ita & nutritivam impediendo eius actionem totaliter per aliquod mortiferum immixtum, vel in debilitando.

6. Ad aliud dicendum, quod dæmon non mutat cursum naturæ immutando sensum quocumque prædictorum modorum, hoc enim habet cursum naturæ, ut sensus fiat in actu ad præsentiam sensibilis & iudicet de eo secundum conditionem organi.

QVÆSTIO QVINTA.

Utrum angeli cognoscant cogitationes & affectiones nostras.

Thom. q. 57. ar. 4. De Gand. quodlib. 3. q. 13.

Gabriel lectio. 31. cap. 50.

Secundo quaeritur, utrum angeli cognoscant cogitationes & affectiones nostras. Et arguitur quod sic, quia viso corpore videntur formæ quæ sunt in corpore & continentur sub obiecto visus, ergo similiter viso seu cognito intellectu cognoscuntur actus seu formæ quæ sunt in eo & cadunt sub obiecto potentie cognitivæ, sed angeli cognoscunt perfecte intellectum nostrum & voluntatem in quibus sunt nostræ cogitationes & affectiones quæ cadunt sub obiecto potentie cognitivæ angeli, ergo angeli cognoscunt cogitationes nostras & affectiones.

2. IN CONTRARIUM est, quia quod est proprium solius Dei non potest alteri communicari. Sed noscere cogitationes nostras est proprium solius Dei secundum illud, Tu solus nosti corda filiorum hominis, ergo &c.

a. par. 6.

3. RESPONSIO. Cogitationes & affectiones nostræ aut sunt præsentis, aut futuræ. Si futuræ non possunt præcognosci ab angelo per certitudinem, neque ab ipsomet homine: cuius ratio est, quia effectus futuri qui dependet a causa impediibili, & indifferentiæ non possunt præcognosci per certitudinem, nisi ab illo qui certitudinaliter cognoscit quæ impediunt, vel non impediunt causam, & quæ determinabunt eam, vel non determinabunt. Tales enim effectus non eveniunt nisi causa eorum sit determinata ab indiffe-

rentia sua, & non impedienda. Sed cogitationes & affectiones nostræ futuræ dependunt a nostro libere arbitrio, quod est de se indifferens, & impediibile, ergo non possunt præcognosci nisi ab illo qui novit omnia quæ determinabunt eius indifferenteriam respectu rationis, & quæ impediunt, vel non impediunt. Sed ille est solus Deus, & non angelus, nec ipsemet homo, ergo &c. maior ratio patet. Sed minor probatur, quia determinatio indifferentiæ lib. arb. respectu futuræ cogitationis & affectionis potest provenire ex diversis causis: videlicet ex motione divina secundum illud, prou. 21. Cor regis in manu domini, quocumque voluerit inclinabit illud: futura autem motio divina nulli potest esse nota nisi sibi soli.

4. Item potest provenire ex futura dispositione corporis, & futuris passionibus, & ex futuris suggestionibus, & admonitionibus: Et ex multis casualiter contingentibus, ex quibus non potest haberi certa cognitio futuræ cogitationis, vel affectionis, nec a nobis qui prædicta non novimus, nec ab angelis, quia non omnia prædicta dependunt ex causis naturalibus notis angelo, nec secundum se sunt ei præsentia cum sint futura, quare videtur quod præcognoscere cogitationes nostras & affectiones futuras sit proprium solius Dei.

5. Cogitationes autem & affectiones quæ sunt actualiter in nobis, possunt cognosci dupliciter: vno modo per suum effectum, alio modo in seipsis per effectum cognoscuntur certitudinaliter quando effectus concludit causam. Sicut cum homo vel angelus videt hominem currentem nemine impellente scire quod ille vult currere. Quando autem effectus non necessario concludit causam, tunc per effectum scitur cognitio, & affectio solum per coniecturam, sicut per mutationem vultus perpenditur quandoque affectio interior tanto subtilius ab angelo quam ab homine quanto subtilius perpendit tales mutationes.

6. Secundo autem modo videlicet prout sunt cogitationes in intellectu & affectiones in voluntate non cognoscuntur (ut quidam dicunt) nisi a solo Deo, quod probatur sic: voluntas rationalis creaturæ soli Deo subiacet, & ipse solus in ea operari potest. & ideo ea quæ in voluntate sunt vel ex voluntate dependunt, soli Deo sunt nota, manifestum est autem quod ex sola voluntate dependet quod aliquis actu consideret. Quia cum aliquis habet habitum scientiæ, vel species intelligibiles vitur eis cum vult, ideo &c.

7. Illud autem habet multas calumnias. dato enim quod voluntas soli Deo subiaceret quo ad causalitatem, non tamen sequitur quod soli Deo subiaceret quo ad cognitionem, alioquin non cognosceremus ea quæ a solo deo creata sunt, ut sunt cælum, materia prima & huiusmodi. Item dato quod voluntas soli Deo subiaceret quo ad motionem, non tamen sequitur quod non subiaceret aliis quo ad cognitionem, quia per eandem rationem motus cæli qui est a voluntate angeli mouetur non esset notus nobis. Item ratione libertatis voluntatis non potest latere nos motus ipsius, quia libertas non est impedire ab alterius cognitione, sed ab alterius coactione. Specialiter autem in proposito nostro, si cogitationes nostræ laterent angelum, quia dependunt a voluntate per eandem rationem & operationes transientes in materiâ exteriori quæ imperantur a voluntate lateret ipsum. Non enim est differentia in his, & in illis quo ad cognitionem angeli cui ea nota sunt cæteris paribus intrinsicè, sicut extrinsecè eo quod non accipiat cognitiones a sensibilibus. Item indeterminatio voluntatis non potest hoc facere, quia & si voluntas indeterminata sit respectu futurorum, tamen respectu presentium quæ vult & cogitationum ad quas actualiter mouet determinata est. Et ideo hæc ratio solum sufficeret ad probandum quod angelus per certitudinem non cognosceret cogitationes & affectiones nostras futuras, sed non sufficeret ad probandum quod non cognosceret cogitationes & affectiones præsentis.

8. Alii quod cogitationes nostræ cognoscuntur ab angelo, non tamen sequentes volitiones, & affectiones. Ratio primi est, quia cum intellectio sit quoddam *accidens * aliis
actuale.
sibile non plus lateret angelos quam sensibilia, vel accidentalia corporalia. Ratio secundi est quod Deus referuat sibi vniuersale iudicium de bonis & malis. Et quia volitio bona vel mala est meritoria vel demeritoria. Et sic pertinet ad iudicium, intellectus vero non nisi materialiter